



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

Sánchez, Tomás

Coloniæ Agrippinæ, 1624

13. Probatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41559

4 Princeps absque causa iusta non potest reuocare priuilegium in meritorum remunerationem alicui concessum, quamuis sola gratitudinis lege remuneratio debita sit. Idem dicendum de priuilegio non subdito concessio, & acceptato. Secus dicendum de reuocatione iurisdictionis, *lib. 8. disp. 33. nu. 4. 5. & 6.*

Probatio.

1 Probatio ad dissoluendum matrimonium exigit duos testes omni exceptione maiores: nisi agatur de impedimento ratione consanguinitatis, vnde non sufficit fama solum, *lib. 2. disp. 45. nu. 30. 31. & 32.*

2 Confessio vtriusque coniugis, vel vnius stantis pro matrimonio, bene probat impedimentum, si ad sit fama illius. Et quando sufficit confessio vtriusque stantis pro matrimonio sine fama, relinquatur arbitrio iudicis propter periculum collusionis, *lib. 2. disput. 45. num. 34. & 35.*

3 Confessio vtriusque sufficit ad diuortium. Item confessioni vtriusque standum est, quando de probando matrimonio inter aliquos tractatur ad euitandam concubitus pœnam. Secus dicendum, si id matrimonium sit contra aliud prius contractum, *lib. 2. disp. 45. nu. 36. & 37.*

4 Probatio mortis, vt alter coniux possit contrahere, est certus nuntius, aut testes, ita vt iudicio prudentis non tantum probabilis, sed certa iudicetur mors, quæ probatio relinqu-

etur arbitrio. Item testes possunt non citata parte examinari. Non sufficit tamen vnus testis, nisi casu quo coniux obierit in loco ita distanti, vt facile nequeant alia probationes haberi, lib. 2. disp. 47. à nu. 1. vsque ad 12.

5 Fama per sola non sufficit ad probandam mortem, nisi cum sex conditionibus. 1. est, vt duplici teste proberur. 2. quod testes sint omni exceptione maiores, deponantque audiuisse à fide dignis. 3. vt concurrat causa rationalis, ex qua fama orta est. 4. est, vt testes deponant, se audiuisse publicè à maiori populi parte: nec sat erit dicere se audiuisse publicè. 5. conditio est, vt deponant testes à quibus personis fama ortum habuerit, & à quibus ipsi audierint. Nisi fama ex coniecturis probabilibus confirmaretur, & de fama magnus testium numerus, vt septem, vel decem, deponat. Vltima conditio est, vt testes de fama deponentes asserant, rem ita se habere credere. At testes non compelluntur iurare, sed absque iuramento valet eorum dictum, lib. 2. disp. 46. à num. 13. vsque ad 17.

Professio, & Professus.

1 Professio ficta, aut metu extorta potest solo actu interno ratificari, lib. 2. disp. 32. nu. 14. Secus dicendum de professione nulla ex parte monasterij, eod. lib. disp. 35. nu. 4.

2 Metus reuerentialis non annullat professionem, sicut nec matrimonium, lib. 4. disp. 6. num. 18. & 18.

Q 2

3 Pro-